


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0051



cum aliis, noluit transnatare aliis transnatantibus, exuit tamen
se vestibus et aquam intravit, ut se refrigeraret et lavaret, et
ingressus vix usque ad umbilicum mergi coepit, et subtractus
in aquam nusquam comparuit. Insuper in illa mea secunda
peregrinatione, quam nunc describo, transnataverunt multi,
nec curaverunt prohibitionem Sarracenorum, qui prohibent, et
periculum aliquod futurum praedicunt et transnatantes incla-
mant. Inter illos fuit unus sacerdos, qui etiam, sicut ego
feceram, transnatavit, qui in alia parte existens omnes vires
corporis amisit et nequaquam amplius natare aut potuit aut
scivit, et stabat tremens, quem cum magnis laboribus socii
reduxerunt sui, infirmum et fractum, cum tamen ante fuisset
robustissimus, et mihi singulariter familiaris. Saepe eum
interrogavi, quid sibi acciderit? Qui dixit, se subito privatum
viribus. Interrogavi peregrinos, qui ante me et post me
circa Jordanem fuerant, et semper inveni, quod aliqua turbatio
accidit alicui.

Ex jam dictis surgit quaestio, unde hoc accidit, quod
frequenter periculum et turbatio in illa balneatione contingit,
cum tamen fluvius non sit latus, nec rapidum cursum habeat,
sed satis lentum? Ad hoc primum dicunt, quod quaedam
belluae insidiosae in illa aqua latitant, quae, dum motum
sentient natantis, ascendunt et natantem conantur rapere.
Alii dicunt, quod quia locus ille est prope faucibus, per quas
Jordanes in mare mortuum illabitur, ideo fit ibi quaedam
commixtio aquarum de mari mortuo, et propter malitiam illa-
rum aquarum debilitentur vires transnatantium, Alii dicunt,
quod in mari mortuo nihil vivit, nisi quaedam inhumanae et
infernales bestiae, quae ascendunt de mari sursum ad homi-
num necem. Alii dicunt, quod periculum contingit ex forti
imaginatione, audiunt enim peregrini de istis periculis (B),
et quilibet timet et cavet, ne sibi aliquid contingat, et in illo
timore omnes transnataant, quorum quidam ex forti imagina-
tione putant se tangi, vel subtus trahi. Caeteri dicunt, et
forte rationabilius, quod, quia transnatatio est signum petu-
lantiae et dissolutionis, quae non expedit in tam sancto loco
fieri, ideo permittit Deus tribulationem alicui evenire, ut cae-
teri seriosi, maturi et timorati fiant. Locus enim ille propter

0049

0055

0045

0060

0040

0100

0150

0550

1050

Ende

Anfang